COMMENTARIA
IN ARISTOTELEM
GRAECA

EDITA CONSILIO ET AUCTORITATE

ACADEMIAE LITTERARUM REGIAE BORUSSICAE

VOLUMINIS V

PARS V THEMISTII IN ARISTOTELIS METAPHYSICORUM Λ

BEROLINI

TYPIS ET IMPENSIS GEORGII REIMERI

MCMIII

THEMISTII

IN ARISTOTELIS METAPHYSICORUM

LIBRUM Λ PARAPHRASIS

HEBRAICE ET LATINE

CONSILIO ET AUCTORITATE

ACADEMIAE LITTERARUM REGIAE BORUSSICAE

EDIDIT

SAMUEL LANDAUER

BEROLINI

TYPIS ET IMPENSIS GEORGII REIMERI

MCMIII

PRAEFATIO

Themistii in librum Λ Metaphysicorum paraphrasin ab Abû Bischr Mattâ arabice translatam esse, fortasse etiam (?) a Schamlî, Fihrist[1]), qui quidem hoc loco valde interpolatus est, refert. sed cum haec translatio arabica ut ipsum Themistii exemplar graecum periisse videatur, feliciter factum est, ut hebraica certe versio, quam Moses ben Samuel ibn Tibbon ante d. XIII Kal. Mart. MCCLV[2]) confecit, in compluribus bibliothecis sit servata. atqui huius Tibbonis exemplar docet superscriptio codicis B aliquam notam tulisse, qua Ishâq b. Ḥonein versionis arabicae auctorem et Tâbit b. Qurra emendatorem esse nobis proderetur. huic igitur testimonio quod ex ipso exemplari fluxit non dubium est quin plus sit fidei adscribendum quam bibliographo quamvis vetusto, qui haud raro ex indicibus tantummodo se hausisse ipse confessus sit. praeterea non extra omnem veri similitudinem positum est, sub illo '*numero librorum Metaphysicorum*', qui etiam in Fihristio (nimirum secundum alium auctorem) Ishâqio attribuuntur, etiam librum Λ comprehensum fuisse et eum quidem fortasse coniunctum cum hac Themistii paraphrasi.

Titulus accuratior ex eis quae aut superscripta aut subscripta habent codices elici non potest; nam generalius illic dicitur '*commentarius*' ut פירוש (cod. B) et באור (cod. Lips.). similiter etiam apud iudaicos scriptores[3]). neque diligentius loquuntur Arabes, velut تفسير Fihrist, شرح Alfârâbî[4]) et

---

[1]) Ad verbum expressum a posteriore Ibn al-Qiftî p. 42.

[2]) Ita in extremis cod. B (11. Nisan 5015): cod. A et Finzi annum dumtaxat exhibent.

[3]) cf. Levi b. Gerson, Milchamot Ha-schem p. 221,3 cum p. 224,19 et 225,2.

[4]) Locus memorabilis nunc arabice legi licet in Fr. Dieterici *Alfârâbî's philos. Abhandl.* p. 34: „Ferner gibt es von den Alten keine erschöpfende Erläuterungsschrift zu diesem Buche wie zu den übrigen ⟨aristotelischen⟩ Büchern. Wir haben bloss zu dem Tractat Λ eine unvollständige von Alexander und eine vollständige von Themistius; die andern sind entweder nicht erläutert worden oder nicht auf uns gekommen. Beachtet man die Schriften der Peripatetiker, sollte man freilich glauben, dass Alexander das ganze Buch commentirt habe."

Schahrastanî[1]); Ibn Sînâ tandem plus sapit, cum Themistii rationem perbene ita describit[2]) *„qui scripta primi magistri modo enarrationis* (تلخيص) *scite illustrat, quamquam in ipsas cogitationes non penetrat“.* haud absimiliter post eum Ibn Ruschd loquitur in isagoges suae ad hunc librum exordio.

Ad textum hebraicum constituendum hi mihi praesto fuerunt codices:

A Codex Monacensis 234, fol. 175^{v}—204^{r}, litterarum genere germanico (?) exaratus. ante fol. 188 quod incipit p. 17,3 huius editionis unum periit folium.

B Codex Monacensis 108, fol. 80—91, litteris hispanicis scriptus.

Breviter uterque codex descriptus est in Steinschneideri Catalogo ed. alt. p. 65. p. 109.

C Codex Lipsiensis bibliothecae senatoriae 40 f. 234^{v}—247^{r}, litteris hispanicis, totus correctus manu altera et notis marginalibus instructus, quibus discrepantia alterius codicis indicatur; cf. Fr. Delitzschii Catal. p. 305 et 324.

D Codex Parisinus 894 fol. 41—47, fragmentum est non ultra p. 12,17 h. ed. pertinens, litteris ille scriptus orientalibus cursivis sed lectu difficilibus. collatus est a M. Ginsburger Sulziensi, viro doctissimo.

O Codex Oxoniensis Bodleianus 1377 fol. 134sqq. huius specimen tantummodo praesto fuit ex primis et extremis.

Codex Taurinensis 40, quem indicat Peyronii Catalogus p. 20, frustra mihi petitus non praesto fuit. praeterea cum liber satis probe sit traditus, plura subsidia velut Parisinum 1054^{15} et mancum Lugdunensem 40^{4} poscere supervacaneum esse videbatur.

A et D, qui gemelli sunt, editionis huius fundamentum esse volui. simili necessitudine inter se iuncti C et O; medium ferit inter utrosque B, his tamen propior. pleraque pars discrepantiae grammaticam tangit et propterea ad versionem latinam nihil momenti affert. omnino otiosum erat omnia illa etiam minutissima in notas referre. etenim si quis intellegere studeat, quanta licentia talium scriptorum librarii grassentur, quam saepe synonyma arbitrio mutent, quotiens membra minora atque adeo totos versus omittant, adeat ille primas huius editionis pagellas, ubi ad codicum differentiam significandam a delectu abstinui; sed ne optimi quidem codices a neglegentiae crimine liberi sunt. quia flumen orationis hic tardius fluit, plenius interpunctis enuntiatis plus lucis afferre studui.

Hebraica verba hic primum publici iuris fiunt, sed in latinis ante-

---

1) *Book of religious and philos. Sects* p. 312,4; 326,12; cf. etiam 343,5.

2) al-Schefâ *Metaphysik* p. 611 et inde al-Nagât p. 73 inf.; Themistii nomen, etsi in utroque siletur, tamen a prioris glossatore apertum est.

cessorem habui Mosen Finzi [1]), cuius opus emendare meum erat. quo in genere quidquid novatum est, ut in Themistio De caelo nostro sic hic quoque *cursivis* litteris impressum est exceptis eis quae intra ipsa vocabula correcta sunt. ac Finzii quidem additamenta signo [ ], mea ipsius signo ⟨ ⟩ distinxi. inter ea quae male administravit Finzi illud est pessimum, quod nimis saepe Aristotelis verba in Themistii paraphrasin transtulit, id quod funditus a me sublatum est exceptis tamen eis locis, ubi in vulgato Metaphysicorum textu lectionis discrepantia non reperitur. nam haud immemor fui quam longinquis itineribus exemplar graecum per Arabes ac Iudaeos ad nos usque traductum sit. et his quidem locis verba Aristotelica diductis litteris, ut soleo, exprimere nolui.

Averroes quidquid e libro nostro citavit, diligenter ubique recensui. bis vero hebraicam eius formam, quam publicavit J. Freudenthalius, vir eruditissimus, contuli [2]). sed etiam latius patent huius paraphrasis in philosophia orientali vestigia. Schahrastani [3]) quidem, secutus ille Ibn Sînâ ducem „*cuius doctrina in Themistio nititur*“, in uberrimo suo de Aristotele capitulo ex huius paraphrastae commentariis ac praecipue ex hoc libro sua se hausisse aperte confitetur. ecce haec ex pluribus exempla, Sch. p. 312, 20 sqq. = Th. lat. 29,2 sqq.; 314,7 sqq. = 34,13 etc.; 315,6 = 32,10; 316,20 sqq. = 21,35 sqq.; 317,9 sqq. = 34,35 sqq.; 320,10 sqq. = 14,21 — 15,37 (interiectis aliis). cf. praeterea p. 344,2 sqq. et Th. 9,31 sqq.

Iudaeorum hunc librum citant duo commentatores Maimonidis celeberrimi illius libri *Dalalat al-Hairin*: Schemtob b. Palqera [4]) p. 85 = Th. lat. 25,39—26,9 (hebr. p. 23,4 sqq.) — et is quidem locus in editione, qua utimur, falso ipsi tribuitur Aristoteli — et Iosephus Kaspi [5]) p. 88 = Th. lat. 13,14—23 (= hebr. 11,22—29) et p. 13,37—41 (= hebr. 12, 5—7) [6]). praetereo alia ampliora horum testimonia, quia iam in Averroe inveniuntur. quid? quod Isak Abravanel in ‘*Elementorum forma*’ p. 1^v Themistio falso attribuit, quae ex Averroe p. 304 B translata esse patet.

Argentorati m. Iulio MCMIII S. Landauer.

---

[1]) *Themistii Peripatetici lucidissimi paraphrasis in duodecimum librum Aristotelis de prima Philosophia Mose Finzio interprete.* Venetiis, apud Hieronymum Scotum 1558. dedicationem Finzii Mariano Sabello episcopo Eugubino oblatam exprimendam curavi in Supplemento p. VIII.

[2]) Extat haec editio (quam signavi *Av Fr*) in *Actis Ac. litt. Berol.* 1884 p. 57. 58.

[3]) l. c. p. 312,4 et p. 326,12 et alias.

[4]) *More ha-more* Pressburg 1837. quod sequitur Themistii testimonium spectat hebr. p. 7,27 sqq., at non retinuit ipsa verba.

[5]) Iosephi Kaspi *Commentaria hebr. in R. Mosis Maimonidis tractatum Dalalat al-Haiirin* . . . ed. Salomo Werblumer Francof. a. M. 1848.

[6]) Idem apud Palqera l. c. p. 76. memoratu digna videtur lectio ויבלחו (cf. p. 11 adn. 22).

SUPPLEMENTUM PRAEFATIONIS

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO MARIANO SABELLO EPISCOPO EUGUBINO, MOSE FINZIUS. S. P. D.

Themistii paraphrasis in duodecimum librum Aristotelis de prima philosophia, praesul amplissime, quae iamdiu a Graecis desideratur, cum hebraice nescio quo fato reddita in manus meas pervenisset, non eram nescius operae pretium et rem omnibus eius scientiae studiosis pergratam me facturum esse, si eam in latinum sermonem transtulissem, ne libri perdifficilis interpres locupletissimus diutius in tenebris delitesceret. eam rem cum iam saepius inchoassem, nondum tamen variis distentus negotiis perficere potueram, cum forte omnem consilii mei rationem exposui Benedicto Manzolo Mutinensi, viro in omnium scientiarum genere exercitatissimo et mecum summa familiaritate coniuncto. is me percepta re non solum hortari, sed etiam inflammare et impellere coepit, ut susceptum munus absolverem, neque his contentus, ut quasi stimulum et calcar adderet, paucis post diebus tuas ad se litteras ostendit mihi, quibus institutum meum summopere laudabas rogabasque, ut, cum primum opus perfectum esset, eius tibi videndi potestas fieret. tunc ego abiecta omni cunctatione, cunctis reiectis negotiis totum animum ad vertendam paraphrasin appuli. eam enim nactus esse mihi visus sum occasionem, quae iampridem a me vehementer exoptaretur, ut ita tecum agerem, ut me tibi penitus deditum et consecratum esse intellegeres. ea enim de te iampridem audio ab omnibus, praesertim a Benedicto Manzolo, qui te in primis colit atque observat, ut te unum admirer, te unum suspiciam, qui ea, qua es, aetate, nobilissimo genere natus, quod his temporibus rarum admodum est, ne dicam inauditum, in omni litterarum genere adeo profeceris, ut eruditorum nobilissimus, nobilium eruditissimus habearis, nec dictu facile sit, quantum per te antiquissimae ac illustrissimae familiae tuae, in qua viri omni aetate bello paceque insignes floruere, splendoris ac lucis accesserit indiesque magis accedat. tu homo Romanus graece summa cum venustate loqueris et scribis, hebraice et chaldaice optime intellegis; tu in universa philosophia atque theologia ita versatus es, ut nihil tibi in iis difficile sit ad intellegendum, nihil ad explicandum. ea vero es suavitate morum praeditus, ea vitae innocentia atque integritate, ut gloriae tuae nemo invideat, boni omnes te quasi religionis exemplar ad imitandum sibi proponant. hac igitur famae tuae celebritate incredibili in te amore inflammatus Themistii interpretationem a me tandem absolutam tibi dedico et sacro, non solum ut, cuius auspiciis opus ad finem perductum est, eius etiam tectum atque munitum auctoritate in lucem prodeat — quantam enim sibi aqud lectorem gratiam hoc nomine conciliare possit liber, intellego — sed etiam ut meae huius erga te singularis observantiae monumentum vulgo exstet. quod quidem si quis attentius perlegerit, eum minime inficiaturum esse confido, hanc eam esse paraphrasin, quam Themistio adscribit passimque citat Averroes in iis

commentariis, quos in XII. Aristotelis librum de prima philosophia edidit. tu autem una cum aliis, qui acri ingenio praediti sunt, optime etiam hic perspicies Themistianam illam interpretandi rationem miramque in rebus obscuris claritatem. quamquam enim auctor de via fessus ac longa peregrinatione confectus vestitu immutato in sordibus et squalore versatur — a Graecis enim ad Arabas et inde ad Hebraeos migravit, apud quos circiter tercentum et tres annos delituit, nunc vero tandem in Latinum pervenit — non adeo tamen eius deleta sunt lineamenta, ut Themistium agnoscere non possis. quo quidem, qualiscunque sit, interea perfruantur studiosi, dum exspectant, ut archetypus a te, ut es omnis antiquitatis solertissimus et liberalissimus indagator, e Graeciae ruinis ac tenebris eruatur, nec laborem meum contemnant. nam quemadmodum nobiles illas et immortales substantias vel leviter attigisse satius est, quam pleniore intellegentia cetera assequi, ita Themistium, qui de iis ex Aristotelis praescripto loquitur, non ignorasse melius fore existimo, quam quosdam alios interpretes summo studio perlegisse. tu igitur, optime antistes, Themistium, quem tibi dedico, amplectaris et foveas meque in fidem et clientelam tuam accipias, ut ad alia tibi offerenda alacrior sim. Vale.

Mutinae Idibus Martiis MDLVIII.

THEMISTII

IN ARISTOTELIS METAPHYSICORUM

LIBRUM Λ PARAPHRASIS

LATINE EXPRESSA

THEMISTII
PARAPHRASIS IN METAPHYSICORUM
LIBRUM Λ.

Versio Finzii
f. 1

Ens pluribus modis dicitur; nos *autem*, dum *entis* principia inquirere volumus, substantiae dumtaxat principia investigare *volumus.* nam hoc *nomen substantiae* magis debetur quam *omnibus, quae existunt.* sive enim universum *in unum sit redactum*, ut membra in corpore humano et partes in plantae corpore *in unitatem coalescunt*, sive ex rebus *sit compositum*, quae se invicem tangant, ut domus et navis, sive *coniunctum sit* ex *segregatis*, ut exercitus et civitas: princeps omnium ipsius partium substantia est obtinetque eundem in universo locum, quem obtinet cor in animalium corpore. sin autem nullo horum modorum fuerit *eius constitutio*, sed sicut in numero unum prius est, deinde duo, deinde tria, aut sicut in figuris rectarum linearum triangulus prior est, deinde quadrangulus: *sic* etiam substantia invenitur prima, deinde qualitas et quantitas et reliqua. nam substantia *omnibus* iis, *quae subsequuntur*, antecedit, ut unitas ceteros numeros et triangulus ceteras praecedit figuras. non *enim* omnia genera una et eadem ratione entia dicuntur; sed inter illa dignior est hoc nomine substantia, cetera autem esse dicimus, propterea quod substantiae insunt; eius namque aut quantitates sunt aut *qualitates* aut *motus* aut similia ac entitatem participant, quia ad substantiam referuntur. porro si alia genera dictionibus, quibus esse significatur, nuncupamus, nemo miretur, *cum nos illas dictiones ⟨re vera⟩ de substantia solum adhibeamus. e.g.* cum dicimus 'hoc lignum album est', illud 'album est' esse *quidem* significat, *sed* verbum non albedini, sed ligno ipsi adaptatur. et pari modo cognata his *adhibemus*, cum negamus quaedam

---

7 *sive—figuras* (19) laudatur ab Av. p. 291 C sq. et Av. Fr. 57 10 *segregatis*] *separatis et dispersis* FCO 13 *eius constitutio* om. F Av. lat. 16 *etiam* incertum 17 *et*] *tum* F Aristotelem imitatus; *quantitas* (et) *qualitas* Av. lat. F inverso ordine 20 *cetera*] fort. τἆλλα Arist. 22 27. 28 *et pari modo*] fort. ἢ καὶ Arist. 22

accidentia, *immo vero* cum affirmamus. *adhibemus enim talia* f. 1 *e. g. de eo, quod non est album, dicendo 'hoc est non-album' et de eo, quod non est rectum, dicendo 'hoc est non-rectum'.* sicut *autem* cum dicimus 'lignum est non-rectum', *illud non-rectum* ligno *ipsi* adscribitur, ita cum lignum rectum *esse* dicimus, hoc *esse de* ligno *tantum adhibemus.* nam impossibile est accidentia *ulla* vel cogitatione a substantia separari, eo minus re ipsa, cum tamen substantia ab universitate ceterorum generum segregari possit; non quod sensibilis substantia ullo pacto prorsus *ab* accidentibus *seiuncta sit, sed* substantia una et eadem numero manet, accidentibus minime iisdem numero manentibus; quin immo *pereunt et adventant alternatim*, oriuntur alia et alia intereunt. huius modi sunt quantitates, qualitates, *actiones*, passiones, loca, tempora hisque generibus finitima, quorum tamen *omnium* generum | initium, fundamentum, *elementum* f. 2 substantia est.

Huius dicti *veritatem veteres* quoque *testantur.* eorum enim, quae sunt, principia et *fundamenta* et elementa quaerentes substantiae principia *et initia* indagantur, non qualitatum, quantitatum aliorumque huiuscemodi. ex quo *iam* perspicuum fit discrimen inter *has duas quaestiones, i. e. inter* quaestionem de generibus entium, quot sint, et quaestionem, quot sint initia entium. nam substantia tantum initia habet et cuiusque substantiae initia quaeruntur, quatenus est una numero; *genera* vero in mente *tantum* existunt *perceptis* singularibus *in ea repositis*, quorum unumquodque est sicut aliud. qui igitur hac aetate sunt, quippe qui sint in disserendi facultate exercitati, universalibus *tribuendam* substantiae *dignitatem* magis quam singularibus *dicunt, immo universalia* quasi principia *singularium* ponunt; nam hominem universalem principium dicunt Socratis et Platonis et equum universalem huius et illius equi. antiquiores vero magis sensum sectabantur — philosophia namque tunc temporis proxime orta fuerat — et singularia digniora substantiae principia esse putabant. idcirco cum terram, ignem, aquam, aerem initium substantiae dicerent, non tamen terram universalem aut ignem universalem aut alia universalia elementa esse aiebant eorum, quae sunt, sed ne corpus quidem commune huius terrae, huius ignis, huius aquae, huius aeris elementum esse asseverabant. saepius vero utranam harum sectarum rectius sentiat, disputavimus: eane quae universalia ponit priora, an quae particularia. sed eorum opiniones quamvis refutaverimus (??), nihil tamen prohibet nos de hoc edisserere.

---

1 *adhibemus—rectum* (3) om. F 5 *ita—adhibemus* (6) om. C 6 *nam*] fort. *et* 11 *pereunt*] *permutantur* BF 25 *qui—sunt*] *isti autem* AB 40 *refutaverimus* CF: *bene consideraverimus* ABD; fort. vertendum: (*opiniones*) *cum bene consideraverimus, nemo prohibet* *de hoc*] scilicet *de substantia*

nunc vero iam expresse meminimus inquirentem principia eorum, f.2 quae sunt, necessario principia substantiae inquirere.

Substantiae autem *universae* sunt tres, quarum duas omnes homines fatentur — quoniam sensibiles *sunt*, subiectae sensui visus — harum *altera* est perpetua, altera mutabilis. perpetua autem est substantia corporum caelestium, corruptibilis *vero* substantia humi degentium, plantarum inquam et animalium. atque huius *tantum substantiae* elementa *et fundamenta* in praecedentibus sermonibus sumuntur. palam est autem ex multis constare, nempe ex igne, terra et *duobus reliquis* et *ex* aliis praeterea cum simplicioribus tum numero paucioribus, aut saltem ex una re tantum, quae quandoque *extenditur* et *est* mollis, quandoque vero concrescit et induratur. atque hae quidem sunt duae substantiae *ex illis tribus, praeter quas nulla substantia existit.* tertia autem substantia immobilis est, *aeterna* et sempiterna omnisque mutationis expers. neque enim mutatur ut ea, quae in terris sunt, plantae inquam et animalia, quae *vel* ex universa sui natura exeunt et corrumpuntur, neque mutationem localem subit, quam solam corpora haec cum caelestibus communem habent. nam quamvis corpora caelestia variis temporibus nequeant *dispositionibus suis* mutari, attamen non dedecet ea diversis temporibus diversos variare locos, et super hoc aedificata est naturae facultas; *at* substantia, quae immobilis est et cui *nihil* miscetur *corporei*, immutabilis est omnino. quapropter separata *esse* dicitur a sensibili substantia. atqui certe non loco; nam falsum est dicere loco separari substantiam locum penitus non habentem et ab extremitatibus corporum non ambitam, quibus ambiuntur omnia, quae loco continentur; sed a sensibili separatam dicentes *nihil nisi* quandam inter eas diversitatem ostendimus. inspicientes enim unam earum immobilem *atque immutabilem* penitus esse nec ab alio nec a se ipsa *omnino* mutari, postmodum invenientes *haec* omnia sensibili substantiae alio et alio modo *inesse*: iure et merito a sensibili substantia *separatam esse* intellegibilem asserimus, adeo ut nihil ipsis commune sit, neque quod ad naturam neque quod ad novationem ullam pertineat. de hac igitur prima et immobili substantia hoc sermone tractaturi sumus et, quae de ea opinati fuerint antiqui, narraturi. nam alii dividebant | *hanc primam* f.3

1 *nunc* om. AD 3 *quarum* et sq.] dictio ἣν πάντες ὁμολογοῦσιν ut in priore Alexandri interpretatione ad utrumque pertinet rerum sensibilium genus 5 *altera* (alt.)—*est* (6) om. F: *perpet.* (alt.) — *est* om. C quoque: ambo legunt *substantia nimirum corporum caelestium* post *perpetua* (pr.) 6 *corruptibilis vero*] *alia corr. et est* F 8 *huius* et sq.] ἧς ἀνάγκη τὰ στοιχεῖα λαβεῖν ad genus mutabile tantum referri videtur 11 *saltem* AF: (*ex una re*) *simplicissima* BC 13 *ex—existit* (14) om. F 20 *dispositionibus suis*] *forma et specie sua* F 29 *atque immutabilem* om. AF 30 *nec—mutari* om. A 36 *nam*] ad verbum: *quae autem illi sunt opinati, haec sunt*

substantiam in duas partes, alii unam statuebant naturam. f.3 dividentes ponebant formas dimensionesque mathematicas priores substantias quam sensibiles, et illas quidem harum initia; dicentes vero intellegibilem substantiam esse unam, mathematicas dimensiones ipsas esse substantias ponebant formamque reiciebant. porro sensibilis substantia naturali scientia indiget; *haec enim substantia* ex motu *omnino non* evadit; altera vero *substantia* ad aliam scientiam eamque nobiliorem quam sit scientia naturalis spectare videtur, cum nihil sit commune ipsis neque in generatione ulla neque in loco *neque* in augmento neque in decremento nec commune principium habeant, a quo producantur. nam prior nullum habet principium, secundae vero principium est ipsa substantia prima. *neque* eadem cognitione apprehenduntur; altera enim sensibilis est, altera intellegibilis. rursus immutabilis immobilisque substantia natura prior est mutabili substantia, quae perinde atque res labiles fluit. at quia ea, quae insunt nobis, maxima ex parte a sensibili *substantia* terminantur, ideo prius de ea loqui consuevimus; finitima enim nobis est et quam simillima nostri.

Et de ea in iis, quae de natura sunt, amplissime tradidimus et declaravimus nullam sensibilem substantiam ex mutatione evadere posse mutationemque ex contrariis fieri; *sed nullam mutationem* ex omnibus *contrariis*, sed ex similibus tantum ac proximis. nam fit album ex non-albo, non tamen ex omni non-albo, non enim ex voce, tametsi vox non-alba sit, sed ex nigro dumtaxat aut rubro aut ex *alio colore, qui ex eorum specie est. deinde* declaravimus his duobus contrariis tertium quoddam necessario subiciendum esse. *duorum enim contrariorum alterum alterum non* sustinet, sed quod utrisque subicitur, natura quaedam est unum contrariorum exuens et alterum suscipiens. ibidem *in descriptione mutationum* quatuor species *iam* numeravimus in hac substantia. *una* quidem in definitione rei est, qua scitur, quid res sit, ut cum fit homo ex non homine, aqua ex non aqua, *immo ex* aere; et hanc *mutationem* modo generationem, modo corruptionem appellamus. secunda in qualitate *est* et *immutatio* nuncupatur, tertia in quantitate et quandoque augmentatio, quandoque imminutio dicitur. quarta est *in loco, scilicet translatio* de loco ad locum. *cuius quartae mutationis ex mutationibus memoratis ne caelestia quidem corpora expertia ponimus*; nam et ipsa de loco ad locum moventur et e contrariis aliquando

---

4 *dicentes* codd. F; at *ponebat* (5) codd. 6 *reiciebant* F; ABD corrupti 7 *omnino*] *secundum omnes eius partes* F 9 *cum nihil . . nec* (10)] cf. Alex. 671,15 ἐπειδὴ οὐδαμῶς κατ᾽ οὐδὲν ἡ αἰσθητὴ οὐσία κοινωνεῖ τῇ νοητῇ. οὐδὲ ἔστι τις αὐταῖς ἀρχὴ κοινή 19 *de natura*] lib. A cap. 5 p. 188a31 sq. 22 post *contrariis* addunt *in contraria* BD 36 cf. Alex. 672,10

ad contraria. inest namque *et* locis contrarietatis quaedam species f.3 ad modum oppositionis: *ut translatio, qua pergitur ad ea, quae sunt ante, contraria est illi, qua itur ad ea, quae sunt post; quam contrarietatem nullus motus localis effugit.* neque in hac mutatione duo contraria sufficiunt, sed in ea perinde ac in aliis corpus quoddam subici duobus contrariis oportet, quod quidem ab *altero* ad alterum moveatur, nisi quod hoc caeleste corpus diversum habetur a corpore generationi et corruptioni subiecto. hoc enim *per* se totum mutabile est, caeleste vero *corpus* solo situ mutatur, ea autem, quibus natura eius et natura cuiuslibet partium ipsius sustinetur, immutabilia sunt ac immobilia. particeps tamen exilem quidem in modum *et ipsum* est potentiae et actus, quatenus ipsius partes sunt potentia ad aliquem locum, ad quem postea actu perveniunt. *etenim* hoc *etiam* omnibus sensibilibus substantiis est commune, exire inquam e potentia ad actum, ut ex potentia albo ad actu album et ex bicubitali potentia ad bicubitale actu et ex hoc, quod erat potentia Socrates, ad actu Socratem; nam semen, ex quo genitus est Socrates, pridem potentia Socrates fuit. ex quo diluitur trita illa *omnibusque physicis* communis dubitatio, quomodo ex non ente aliquid fiat. nam id, quod fit, non ex prorsus non ente efficitur, sed ex eo, quod partim non est, partim est; id enim, ex quo fit id, quod fit, potentia est idem, quod *fit, actu est non ens. in omnibus vero, quae mutantur, id quod mutationem subit necessario corpus est quoddam;* idcirco | substantiae perpetuae, quae *generationem et corruptionem non* subeunt, cum loco mutentur f.4 et ipsae, fieri non potest, quin corpora sint.

Non ens autem tribus modis dicitur, uno modo quod penitus non est, altero ut privatio rei ortae opposita, tertio quod potentia est. duobus igitur prioribus modis quidquam fieri nequit. quid enim fieri potest ex eo, quod omnino non est, aut ex privatione, dum ipsa manet? sed ex corpore mutationi subiecto aliquid fieri potest; nam potentia est id, quod fit, actu vero non est. stantibus his non ex quocumque corpore *quolibet* modo cuiuslibet rei generatio erit. navis enim minime ex lapillis fabricatur neque ex quacumque re gignitur homo, sed navis ex lignis construitur, domus vero ex lapidibus et homo ex semine humano oritur, non tamen *quilibet* ex quolibet, sed *unusquisque* ex semine, ex quo ortum habuit. pari modo equus ex semine equi gignitur. at si corpus, ex quo ea, quae *fiunt*, originem ducunt, secundum omnem sui rationem unum esset nec *primum* esset

---

3 *post*] Ar. 229b 9 καὶ ἡ εἰς τὸ ἔμπροσθεν τῇ εἰς τὸ ὄπισθεν 20 *non ex* et sq.] *partim est* om. A et C; cf. Alex. 672,28 καὶ οὔτε ἐκ τοῦ μηδαμῇ μηδαμῶς ὄντος γίνεται τὰ γινόμενα . . ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ πῇ μὲν ὄντος πῇ δὲ μὴ ὄντος 22 *quod fit, actu est non ens* BCD: *quod actu erit* AF; cf. infra

in *eius* natura habilitas quaedam varia, quam cernimus multitudinem f. 4 ex eo non emanaret. nam quod vere unum est, non suscipit multitudinem, sed oportet habeat *primum* potestatem adnexam, qua, tametsi unum sit, multitudinem recipere queat. quodsi recipiens huiusmodi non fuerit, non est quidem rectum dicere illud eo modo a creatore positum esse, qui deinceps cogat ipsum, ut multitudinem subeat; hoc enim sapientis non esset. Anaxagoras autem creatorem unum itemque sapientem concedit; undenam igitur generabilium pluralitas creatore uno existente et corpore, ex quo generatio fit, non multiplicabili, interrogatus: mens, inquit, creatoris, ac si aedificator, faber lignarius aut aurifex esset, accipit quoddam corpus illudque disiungit opportuna disiunctione et *conectit*, construit componitque variis formis, prout decet. nos vero se aliter res habere cernimus, *atque* dicit Anaxagoras. nam prius mutatum est universum corpus in elementa quatuor et *deinceps* in stirpes et animalia. at rerum multitudo a duobus provenit: cum a creatore ob formarum multitudinem, quam corpori praebuit, tum a corpore ipso, quod quidem ad recipiendum aptum est. perinde ac si quempiam ceram accepisse fingamus et ex ea multas animalium, plantarum, inanimatorum figuras confecisse, tunc harum figurarum pluralitas a duobus proveniat, ab artifice effingente et *ex* cera ipsa; ab artifice quidem, quia multas figuras finxit, ex cera vero, quia potest multas figuras recipere.

Insuper in *Physicis expositum* est neque formam per se solam *generari* posse, neque recipiens per se solum. rotunditas enim sola *per se* arte aurificis non fit, neque fit aurum *per se*; sed aurum fit aurum vena, rotundum autem ab aurifice redditur. *qui vero utrumque tamquam rem separatam poneret, eo induceretur, ut generationem infinitam statueret; etenim* si recipiens corpus generari posset, necessarium esset, *ut ex alio recipiente generaretur*; similiter si corrumpi posset, in aliud corpus resolveretur.

Post haec *iam* expositum est unamquamque rem naturalem tantummodo ex sibi simili ac cognomine oriri, neque hoc in naturalibus solum, ut *si* homo generet hominem, sed etiam *in iis*, quae arte fiunt. nam *non* generatur domus *nisi* domo, domus, inquam, *corporea* incorporea domo. *ars igitur principium est unius in altero*, natura vero principium in eodem ipso est. fiunt

---

24 *Physicis*] p. 192a25   25 *rotunditas* BC[1]F: *rotunditatis forma* AC[2]   27 *qui— etenim* (29)] *nam alioqui in infinitum progrederemur, quoniam* F   30 *ut—generaretur*] *subiectum utique aliquod, ex quo manente et antecedente produceretur* F   32 *posthaec* F Aristotelem imitatus   *expositum*] supra Z cap. 7 et 9   33 *nec* et sq.] Arist. a5   35 *nam* et sq.] cf. Arist. 1032b11 ὥστε συμβαίνει τρόπον τινὰ . . γίνεσθαι καὶ τὴν οἰκίαν ἐξ οἰκίας, τῆς ἄνευ ὕλης τὴν ἔχουσαν ὕλην

autem *conversiones formae naturalis* laesionesque in naturalibus corpore, ex quo generatio fit, impedito, *quominus ratione sua procedat*, idque potius privatio principii appellari debet, quam dignetur nomine principii, ut multa *in* incommoda navis incurrit ob nautae imbecillitatem, cum ab aliquo vim patitur.

Tres igitur *universae* substantiae sunt, inter quas una immutabilis | penitus et immobilis est, quae non sensu, sed intellectu dumtaxat f.5 apprehenditur; reliquae duae sensui subiectae sunt, quarum una perennis, altera *corruptibilis* existit. sed tuum est sensibilem substantiam corruptioni obnoxiam in tres substantias dirimere: in elementum, *scilicet corpus* formam *suscipiens*, in formam et in id, quod ex his constat. quae tres substantiae in hoc fere conveniunt, ut sint hoc aliquid. hoc *autem* magis proprium substantiae est quam reliquae eius proprietates. *quodsi unumquidque aliorum praedicamentorum ⟨tamquam hoc aliquid⟩ significamus, haec significatio substantiae tantum debetur. inter substantias autem materia remotissima ab eo est*, ut sit hoc aliquid. nam materia ex sui natura est informis, nisi quod est quodpiam optans, hoc aliquid apparere et *inter* substantias numerari — *veluti si* videri renueret, dum forma privatur, ne paupertatem atque egestatem suam ostendat — nec sensus eam percipit, donec formam induat. attamen intellectus *analogia quadam materiam* forma carere cognoscit et scit ipsam *adulterinam esse, speciem scilicet eius praebere*, quod non habet; non enim habet formam, qua fulciatur. at cum ipse ab ea omnes formas abstraxerit, tunc convertet se ad eam et semel ad *primam* materiam conversus *invenit aliquando in materia cuilibet rei propinqua, quae percipi potest, istam materiam esse hoc aliquid. illa* enim *habet* formam, ut aes statuae et tabulae navis, sed haec magis, cum sit ex rebus separatis et non unitis, ut sunt lateres ac lapides domus. hoc igitur modo ex imbecillitate, abstrusione et remotione convertitur materia, ut hoc aliquid appareat. *nihilo minus* videri respuit nec *permanet ne* per momentum *quidem* temporis, *quo percipiatur.*

Forma vero, *quae quam informat* materiam tegit, dignior est hoc aliquid esse; sed quae *inter omnes substantias optimo iure* hoc aliquid

---

1 *conversiones . . laesiones*] cf. Alex. 675,26 ἀποτυχίαι et 676,3 ἀποτυχίαι καὶ ἁμαρτήματα 10. 11 *elementum* codd. F hic et in seq. passim: l. *materiam* 14 *quodsi—debetur* (16)] locus difficilis. F exhibet: *accidentibus enim ne per temporaneum quidem spatium significatio super hoc suppeditabitur.* verba *ne—spatium* om. BCD 18 *inter—numerari* (19)] textus hebr. vix permittit, ut vertas cum F: *et substantia numerabilis esse*, licet similem invenias sententiam apud Arist. 190b25 ἡ ὕλη ἀριθμητή. 21 *analogia*] cf. Arist. 191a8 ἡ δ' ὑποκειμένη φύσις ἐπιστητὴ κατ' ἀναλογίαν et Alex. in Metaph. 465,6 seq. 26 *quae—potest*] ad verbum: *pro propinquitate vis perceptivae.* cave constructionem destruas vertendo cum F: *agiliorem postmodum comprehensionem in cuiuslibet rei materia proxima invenit. nam materia haec est hoc aliquid.* 29 *non unitis*] Arist. a10 καὶ μὴ συμφύσει

vocatur, est substantia composita singularis, ut hic et ille homo f.5 ceteraque aliarum rerum singularia.

Inde ad sciscitandum venit, utrum detur forma seiuncta a corpore, an omnes formae in corpore sint, adeo ut forma tantum substantiae compositae sit forma, quae cum fortasse separari possit intellectu, nusquam tamen re vera per se sola existat. dicamus artificialium formas hoc modo se habere, *id* quod ex earum ratione innotescit. nam lectuli forma aut in ligno est aut in artificis mente et sanitatis forma aut in corpore existit aut in mente medici, neque est *generatio* horum neque *corruptio*, sed alio modo sunt et non sunt, ut saepe dictum est. *sed formarum, quae natura sunt, nonnullas a corpore seiunctas esse veluti animam et intellectum non nego.* idcirco ponentes formas [abstractas] esse, formas istas *rebus* naturalibus tribuebant, artificialibus vero nequaquam. *plurimas vero formas naturales corpori coniunctas videmus, ut formas ignis et formas carnis, et, ut uno verbo dicam, nullius substantiae singularis naturalis formae sine corpore existere possunt.* moventes autem formae et efficientes non est falsum dicere, quod antecedant ea, quae ab ipsis procreantur, tametsi in corpore sint, et hoc pacto Socratis pater Socratem antecedit et statuarius praecedit statuam, quam effecerit. at formae substantiarum compositarum simul *cum ipsis* necessario sunt, non ante eas; Socratis enim sanitas cum Socrate est, non ante ipsum; figura quoque huius pilae et pila simul sunt, *non ante ipsam.* numquid autem post interitum compositi ulla harum formarum maneat, considerare oportet. in quibusdam nihil prohibere videtur, *ne permaneant,* veluti si anima talis sit, non *tota*, sed mens sola. ut enim *tota* permaneat anima, fieri fortasse non potest.

Si igitur *forma* praeexistens *invenitur, quae agit, quatenus* formam sibi similem inducit, *ita* ut homo generetur ex homine *tantum, et equus ex equo*, singularis *inquam e singulari,* — universale namque nec gignit nec gignitur, at id, quod generat et generatur, est hoc et illud — quid in generatione | opus habemus eius forma, f.6 qua Plato dicebat? cur, inquam, forma, *quae generatur, indiget altera forma ut* exemplari, cum ad ipsius exemplum effingatur id, quod ab ea gignitur? nam idem nomen eademque definitio tam generatum quam generans amplectitur formaque utriusque est eadem; eiusmodi enim est natura formae generantis, ut aliam sibi similem formam generare possit. ⟨*similiter*⟩ ars in *omnibus, quae facit,* forma ulla tamquam exemplari *minime indiget, ita ut scamnum e. g., quod facere sibi proponat, sine exemplari facere nequeat.* ars enim *ipsa* est scamni exemplar, quoniam forma scamni est in mente artificis

35 *altera forma ut* AD: om. BCF

ipsum facientis, veluti ars medendi est forma sanitatis et aedi- f.6 ficatoria forma aedium est.

Et hic sermo de *reicienda* forma perfectus [et absolutus] esset, nisi facesseret negotium animalium multitudo, quae a non simili nascuntur. cernimus enim vesparum genus ex equorum, apes ex boum cadaveribus gigni, ranam ex putredine aquae atque genus quoddam muscarum exigui corporis ex vino corrupto *neque invenimus* naturam producere *ista ex similibus* in forma. et nos optime novimus proportionem quandam peculiarem spermati seminibusque *cuiuslibet* plantarum ac animalium esse, qua generantur, quae gigni debent, *certa*, inquam, animalia *certaeque* plantae, non aliae, adeo ut ex humano semine non generetur equus neque ex equino semine homo fieri possit parique ratione neque ex huiusce plantae semine alia planta efficiatur. nec aliter respondent hae proportiones animalis huiusmodi generationi, nisi quia *proportio* prius posita in natura est, *quae* parata atque disposita *sit* ad novandam omnem viventis speciem *possibilem*, dummodo materiam ad procreandam inveniat idoneam, quae nondum erupit in actum. nec spernas obsecro talium animalium condicionem, sed cogita admirandam magis fore artificis peritiam, si quid ex luto fingat, quam si idem ex auro aut marmore conflasset; quin immo si rationem maioris viventium *bene consideraverimus*, inveniemus eundem in illo naturae processum. *itaque* fieri *non* potest, quin proportiones atque formae in natura *iam* positae *sint*, *secundum quas facit id, quod facit*. tametsi enim generatur homo ab homine, pater tamen nihil artificii habet in hac sua compositione, quae talis existit, ut meliore modo se habere nequeat; sed ita fit, quoniam in cuiuscunque substantiae natura proportio atque formae insunt; [proinde] non artificio patris, sed proportione fit. [praeterea] corpus in sola corporis superficie operatur, natura vero se in corpus universum insinuat. neque mirandum naturam nescientem ea, quae *facit*, *ad finem, qui intenditur*, *adducere*; etenim ipsa nec quid agat intellegit, nec *actu* percipit. et hoc indicat proportiones illas *numine* honorabilioris nobiliorisque causae, quam ipsa sit, atque sublimiore gradu collocatae afflari, nempe anima, quae est in terra, quae secundum Platonem a diis secundis manat, secundum Aristotelem a sole provenit et a circulo obliquo. *et ideo facit illud*, *quod facit*, *desiderio intentionis, qua agitur*, *incensa*, *licet ipsa non intellegat intentionem;* quomodo afflantur homines, ut verba loquantur, cum futura vaticinantur, haud sane percipientes, quid ipsi dicant. in summa fieri non potest, quin adsint in natura proportiones ac formae; nam in rei generatione ipsius similitudinem adesse oportet. sed non

3 et seq.] Av. 303 F sq. et AvFr 58 6 *genus—corporis*] l. *muscas* ut AvFr
15 *proportio*] fort. *proportiones* ut Av.

invenitur, quo pacto id omne, quod gignitur, a sibi simili gignatur; nobis enim aliqua forma egentibus actio quaedam obvia *est*, qua sola scimus formam illam fieri non posse. et perinde forma illa fit, ac si in aliquo alio lateret, et re vera in natura generante latet.

Sed cum institutum sit primum principium eorum, quae sunt, quaerere, idcirco *huiusmodi quaestioni* quaedam *praemittere* proficiet. et | primo *quaerimus*, *utrum* principium omnium, *quae sunt*, possit esse f. 7
unum et idem, ut illud *principium sit principium* substantiae, eorum, quae sunt ad aliquid, quantitatis et qualitatis, an quodlibet praedicamentorum diversum principium a principio alterius habeat. cum vero principium *variis modis* dicatur, tum quod est initium motus, tum id, propter quod est id quod est, tum *elementum*, decet nos de *elementis prius* quaerere, sitne *idem elementum* omnium entium, an quodlibet praedicamentum diversa *elementa* possideat ab alterius *elementis*. sed absurdum videtur, si eadem omnium sint, *ita* ut eadem sint *elementa* substantiae, relationis, *qualitatis et* quantitatis. si vero quis hoc affirmare conabitur, quaeremus ab eo, *quid hoc elementum* sit, si unum est, aut quaenam haec *elementa* sint, si plura sunt; *utrum* extra decem genera, an in aliquo eorum existant. non esse extra decem praedicamenta [in promptu est]; nam esset aliud praedicamentum praeter decem atque illis prius haberetur. nam *elementum* prius est hisce, quorum est *elementum*. at nullum genus substantiam praecedit, ut ex praedictis liquet. sin *vero hoc fugias* contendasque ponere *elementum* in praedicamento substantiae, tunc *elementum* substantiae *erit elementum* relationis, quantitatis, qualitatis, actionis, passionis atque habitus. *praeterea* sequetur necessario id, quod est extra captum intellectus, *elementum* substantiae esse *in* substantia; sed *elementa priora* ac simpliciora sunt his, quae ex eis componuntur, ut literae sunt dictione priores. *supponamus* igitur *elementa* non esse in aliquo *praedicamento*. at in quaestionem venit, *num* fieri possit, ut sint quicquam universalium omnia comprehendentium, ut unum. si dicatur huiusmodi *elementa* omnium esse, respondebimus haec nomina ⟨*non*⟩ *magis de* simplicibus rebus quam *de* compositis *praedicari*. ex quo sequeretur simpliciora non esse compositorum *elementa*; cum enim composita his nominibus appellarentur, simpliciorum *elementa* forent. praeterea si unum atque ens sint principia decem praedicamentorum et principia *diversa ab* his *sint*, quorum principia sunt, ut punctum *diversum a* linea et unitas *a* numero et producens *aliud atque ea*, quae ab eo producuntur: *tum*

---

4 *generante* BCF Av.: *generati* AD 16 *quantitatis* om. C *si vero* et sq.] abbreviationem expositionis, quae sequitur, invenies apud Averr. 306 HJ 23 post *genus* add. BD *communius;* cf. Ar. b2 κοινόν *praedictis*] Ar. p. 1038b27 33 *non* supplevi 39 post *producuntur* F exhibet: *sequitur ens, et unum sine praedicamentis esse posse, sed ens et unum non sunt sine essentia substantiae, quantitatis, qualitatis et reliquorum. nec unum* (p. 11,2) . .: quae omnia commenticia sunt

ens et unum non *erunt ipsa* substantia *nec ipsa* quantitas *nec ipsa* f. 7 qualitas. *neque vero* unum ens *possunt non* entia esse; non ergo hoc pacto eadem sunt omnium *elementa.* [immo impossibile est ita esse.]

At proportione quadam nihil prohibet, *si id, quod supra statutum erat, pro certo habemus.* principia enim omnium tria sint, forma, materia atque privatio — *e. g.* in sensibilibus substantiis calidum quidem ut forma est, frigidum vero ut privatio, materia autem illud, quod *est potentia haec duo*; in praedicamento *vero* qualitatis album habet locum formae, nigrum locum privationis, superficies vero supposita his est *ut materia quaedam;* sic etiam lumen loco formae, tenebrae loco privationis habentur et corpus recipiens lumen utrique supponitur. impossibile est igitur *elementa* dari, quae communia omnino omnibus sint, at reperiuntur proportione et analogia quadam. sed nunc non quaerimus *elementum* eorum, quae sunt; nam eorum principium quaerere propositum fuit. sane *utrumque* causa est. sed principium potest esse extraneum ut causa movens, *elementa* vero nequeunt esse nisi in iis, quae ex ipsis fiunt. quod igitur *elementum* est, id et *iam* principium dici potest, quod vero principium est, *elementum* procul dubio non est; nam movens potest esse extra rem motam. at proximum movens in naturalibus simile est formae; homo namque hominem generat. in artificialibus vero, quae mente fiunt, forma *est* aut privatio. exemplo sit medicina aut ipsius ignoratio, aedificatoria *ars* aut imperitia eius. *in multis vero rebus movens causa simul et forma est;* medicina namque sanitas quodam | modo est, quoniam f. 8 movens, *et aedificandi facultas quodam modo* aedium est forma, homo vero generatur ab homine. at nostrum non est nunc proximum movens investigare, sed quaerimus primum movens, quo omnia moventur.

Et est manifestum, quod est substantia. nam est initium substantiae; at nihil initium est substantiae nisi substantia. *et ipsum tum* substantiae initium *sine dubio, tum* principium erit omnium eorum, quae sunt; cetera namque entia *nisi* affectus *qualitates* motusque substantiae *non* existunt, ut superius *probatum est.* at quaerendum de hac substantia, quae universum hoc corpus movet, quid sit. *utrum* anima *ponenda est an* intellectus *an* quid aliud ab his *ambobus* diversum? sed cauti esse debemus, ne accidens aliquod *de* primo principio praedicemus ex his, inquam, quae cetera entia necessario consequuntur; reliquis vero entibus inest potestas et

---

2 *non* emendavi: *duo* ABCF   3 *immo—esse* add. F   6 *sensibilibus substantiis* F: *sensibili substantia* ABD: *sensibilium substantia* C   27 *at* et sq.] cf. Av. 309G   33 *sunt* BCF: *segregantur* AD   34 *superius*] Z 1   36 *anima—intellectus*] *corpus ponendum est aut anima* C²   37 *sed* F: *aut* BC: *cum* AC; ad verbum: *cum cauti providique simus*   39 post *potestas* inserit *atque actus* F

variis temporibus *sunt* variis *modis* neque semper in eodem statu f. 8 permanent. cuiusmodi sunt generabilia et corruptibilia; in his enim interdum idem est actu, interdum potentia, ut vinum est actu cum fervet atque movetur (?), alias vero potentia erat, cum humor, ex quo generatur, adhuc erat in *vinea ipsa.* caro quoque quandoque est actu, quandoque *vero* potentia erat in *elementis*, ex quibus generatur. nec aliud significare volumus, cum actum et potentiam dicimus, *nisi* materiam atque formam. forma *intellego formam*, si separabilis est, *aut* id, quod ex *forma materiaque* constat. separabilis autem *est*, ut lumen ac tenebrae, si separari ab aere queunt. ex *ambabus* vero compositum, ut corpus sanum et aegrotans. cum materiam dico, intellego id, quod utrumque fieri potest, ut corpus, quod quandoque sanum, quandoque morbo obnoxium efficitur.

Quae vero actu et potentia sunt, quandoque non solum per elementa variantur, quae sunt in rebus, i. e. per formam et materiam, ex quibus constant, sed per res etiam, quae sunt extra, ut earum motrices, quarum materia fortasse non eadem est ac rerum inde generatarum quarumque forma non eadem est, sed diversa. quod mente servandum puto in quaestione primae causae. nam aliquae moventes causae *in* forma convenientes sunt rei motae ipsique proximae, quas sequuntur remotiores. proxima causa est ut pater, sol vero remotior est, sole adhuc remotior est circulus declivis. quae quidem causae non sunt ad modum materiae *rei generabilis* aut formae aut privationis, sed motrices sunt; nec conveniunt in forma neque proximae sunt ut pater, sed remotiores et in agendo fortiores. nam principia proximarum *quoque* causarum sunt.

Amplius, dum quaerimus de prima causa, cernere oportet causarum alias universales, alias *singulares particulares* [dici posse]. vera principia non sunt universalia, sed singularia *particularia*, ut hoc singulare initium est huius singularis et hic homo huius hominis, non universalis, quoniam non existit, sed hic est pater huius et haec aqua (*sic!*) est causa huiusce aquae. universale enim, si causa esse dicatur, est causa universalis, ut substantia est causa substantiae et quantitas causa quantitatis; at principia, quae vere principia sunt, in singularibus quaeri debent. nam materia non est absolute materia hominis, sed materia mea est mea materia et materia tua est tua materia, veluti alia forma tua est, alia mea,

---

1 *variis temporibus*] ἄλλοτε loco ἄλλα τε Ar. a5 8 *forma*] exspectes *actu* *intellego — aut*] *namque, si separabilis est, actu est: sic et* F ex emendatione. in sequentibus στέρησις omittitur 24 *nec—forma* (25)] οὔτε ὁμοειδές Ar. 17: verba οὔτε ὕλη ὄντα et seq. ad solem et circulum declivem tantum referuntur. 33 *aqua . . aquae*] depravatum ex B et BA (ـمـ ex بـ)

non forma universalis, sed singularis. et hoc idem est dicendum de movente. explanavimus igitur, quomodo principia *omnium rerum* possint esse eadem et quomodo non *possint*. diximus posse eadem esse *uno* trium modorum: aut universali ratione, aut proportione et comparatione quadam, aut propterea quod principia substantiae sunt principia omnium. nam si alia dicantur esse, hoc habent a substantia, et cum ab ipsa substantia sint, patet quoque a principiis substantiae esse. cuncta haec *prius statuenda erant.* mox poterimus indagari principium, de quo coepimus disserere. ceterum commodissime ab his initium coepero, quae *a* nobis superius tradita sunt.

Jam diximus substantias *esse* tres, duas | naturales, tertiam vero f. 9 immobilem. duae illae naturales in praecedentibus dilucidatae sunt *et iam uberius de iis antea disputavimus.* nunc sermonem habemus de substantia *immobili et aeterna,* et in primis quaerimus, numquid reperiatur substantia, *quae* tempore non *attingatur* neque sit obnoxia alterationi aut mutationi, *sed continuo in suo statu permaneat.* et saepe diximus hoc principium non posse demonstratione cognosci. demonstratio enim ex principiis et causis constat, prima autem causa, hoc est primum principium, nec causam ante se nec principium habet. sed quod volumus, hoc pacto fortasse consequemur, considerando duo *necessario* inesse primo *omnium* principio: unum quod est aeternum, alterum quod est immobile. separemus igitur haec et de utroque singillatim disputemus. et primo numquid detur substantia aeterna, postea numquid aliqua substantia sit immobilis; tunc sic procedendo voti compotes *facile* erimus. nam *quod* facere solent infirmiores baiuli, quibus si quod grave suscipiendum est onus, illud partiuntur itaque facillime perferunt, id nos imitabimur in hac nostra perscrutatione. dico igitur: si o m n e s s u b s t a n t i a e c o r r u p t i b i l e s s u n t, *s u b s t a n t i a e a u t e m o m n e s c e t e r i s e n t i b u s p r i o r e s s u n t*, o m n i a c o r r u p t i b i l i a e r u n t. cum *enim* verum sit, ut a principio dictum est, universitatis, *sive ad unum redacta sit sive in recta continuatione serieque constet*, radicem elementum*que nec non* principium partium ipsius substantiam esse: substantia corrupta nihil remanebit eorum, quae ab ipsa pendent. quod si quis vel *leviter* intueatur, inveniet non posse fieri, ut substantiae et cetera, quae sunt, non habeant perpetuam substantiam, per quam esse suum obtineant. neu mireris inter ea, quae sunt, dari substantiam aeternam. nam inveniuntur quaedam in natura accidentium, quae aeterna et *in*corruptibilia sunt. *motus enim est aliquid inseparabile, per se non existens, cum sine dubio corpori insit aut substantiae*; *atque multo magis tempus huiusmodi est.* nam tempus finitimum habetur

16 *sed—permaneat* om. F 19 *hoc—principium* om. CD 31 *principio*] initio huius libri

motui; est enim ipsius mensura aut novatum ab ipso. sed ne f. 9 acutissimus quidem sophistes cogitatione depingere posset motum aut tempus subire ortum atque interitum. nam si tempus nativum esset, ante sui ipsius ortum fuisset; rursus si caducum diceretur, esset post suum interitum, ut iam patuit ex Auditu naturali; sed illud iterare libet, quoniam *potissimum opus est nobis quaesituris, quibus in rebus scientia primi principii consistat.* motus igitur et tempus nec oriuntur nec pereunt; neque hoc in ipsis supponi posse ratio suppeditat. de tempore sat perspicuum est. nam *si quis dicat* fuisse tempus ante se tempus non habens, et futurum tempus, quod non sequatur tempus, verba profert suas radices perimentia; nam *similia verba ut* quandoque, *erat et erit*, antea et postea, *quibus qui hoc contendit necessario utitur*, partes *tantum temporis sunt* aut *termini* aut rationes ei coniunctae. sin vero ex his *appellationibus* asserere vellet generationem temporis, minime optatum obtinebit, nisi ponat tempus esse, priusquam oriatur; pariterque si quaerit his dictionibus uti, ut occasum temporis monstret, nihil aliud habebit nisi tempus *manere* post eius interitum. tempore igitur perenni existente et motus itidem procul dubio est. nam, [ut diximus], aut mensura motus tempus est aut *novatum ab ipso.*

Sed ex motu ipso hoc eruamus. contendimus motum necessario aut aeternum esse aut genitum. si genitus, iam praecessit motor. at quonam modo licet animo comprehendere motorem aeternum esse, a quo motus non semper manet; nihil enim prohibet, quominus inde fluat, neque novatum quippiam est, quod aliquo modo motorem ad motum excitaverit. nam quidquid fit, ab eo *tantum* fit, nihil *externum impedit eum*, nihil incitat. neque possumus dicere: prius non poterat movere et mox potuit; nam sequeretur eum mutationem subire et *aliquid praeter eum existere*, *quod mutaret.* quodsi quis contendat eum impeditum esse, praeterquam quod vilipendit, dum aliud *praeter ipsum* inducit, adhuc eum magis vilipendit, | cum necessario f. 10 hoc impediens sit eo valentius. praeterea qui fieri potest, ut haec causa infinito tempore inhibuerit, tandem vero eum absolverit? hoc *certe* esse nequit, nisi aut diversa sit, aut ipsa quoque mutetur nec se possit eodem modo semper habere. motor igitur aliquando se abstineret a motu, aliquando moveret. cum vero novatio motus absque motu non fiat, motus erit ergo ante motum. nam variare, alternare, sistere sunt motus species eumque sectantur. amplius impossibile est hoc, quod motu cietur, non esse corpus quodpiam. quod quidem si ingenitum ponatur, sed post quietem moveri, tunc cogimur causam dare, qua

5 *Auditu nat.*] VIII 1 14 *appellat.*] κατηγορήματα Them. ad Phys. 412, 23
38 *impossibile—quodpiam* (39)] ad verbum: *fieri non potest, quin corpus aliquod existat, quod movetur*

motum mutatumve sit de quiete ad motum. si vero hoc corpus genitum dicatur, motus esset genitus, antequam corpus fuisset ortum, *quod idem valet, ac si diceres motum praecedere motum:* neque igitur potest motus a quiete nasci. at si ex omnino non ente hoc corpus dicatur fieri, simul erit *utrumque et* principium generationis motus *erit* et *ipsum* principium generationis corporis. cum autem impossibile sit ex omnino non ente quicquam fieri, ne motus *quidem* poterit a quiete novari. cum igitur motum aeternum esse iam declaraverimus *atque* quomodo tempus ad motum se habeat, quae sequuntur faciliora evadent. sic enim ratiocinando inferemus: si motus aeternus sit, et *iam* corpus, quod movetur, aeternum erit; nam si huiusmodi est accidens, multo magis est substantia. primus vero motus est localis, secundus autem et tertius in aliis sunt praedicamentis. et motuum localium alii recti, alii circulares; solus autem circularis motus continuus est. nam *omnes reliqui* motus *statu intercipiuntur,* si memoria tenes, quae vi demonstrationis in Auscultatione naturali ostensa sunt. et continuatio aeternis valde necessaria est; nam quod mutatur et consistit, minime aeternum dici potest. pari ratione *inde colligi potest* tempus *continuum esse; nullam enim partem ipsius separabilem cogitare possumus.* ex quo rursus licet *concludere* motum *et ipsum* continuum esse; ab eo namque tempus *novatur.* siquidem igitur motus ille solus, qui circulo fit, *praeter alios continuus* est, *circularis* utique *motus* aeternus *ponendus* est. proinde necessario etiam motor istius motus aeternus est. nam quod non est aeternum, ne *causa* quidem potest *esse* perennis motus. cum in ceteris quoque minime detur vilius causam esse nobilioris. satis igitur patefactum est motorem primum aeternum esse.

f. 10

Cum vero hoc pacto sit, movebit necessario motu continenti *actionemque peraget. nam* si motor esset et motus eius non esset continuus, ne ipse quidem aeterno tempore moveret. hoc autem impossibile *esse iam demonstratum est.* nulla ergo prorsus erit utilitas, si substantias sempiternas induxerimus, perinde atque illi, qui formas separatas quiescentes *veluti ideas quiescentes* commenti sunt. at si naturales sint ac aeternae prioresque sensibilibus, non decet naturam hanc *nihil agentem* supponere, sed potius oportet, ut mutare aut movere sit potens. cum vero dico potens, haud inferre volo, quod a potentia ad actum extrahatur, sed potentiam ab ea *omnino* removendam esse censeo. nec *hanc substantiam* puto numerari inter substantias, quae quandoque actu, quandoque potentia sunt; *fieri enim non potest, ut aliquando principium primum potentia existat.*

---

17 *Auscultatione*] VIII 8 18 *minime—esse* (19) om. A 20 *separabilem*] *(quae) eicitur* CF 26 *vilius—nobilioris* (27) om. B 34 *veluti—quiescentes* om. F 41 *fieri—existat* om F

nam *hoc principium* egeret *altero principio in actu*, *quod* ipsum de potentia ad actum extraheret, cum fieri nequeat, *ut* quidpiam potentia existens a se ipso ad actum trahatur. nam id quod potentia est, in esse suo imbecillum atque imperfectum est, et ei perfectio contingit, cum ad actum pervenerit. praeterea quod potentia est, quodammodo potest ad alterutrum contrarietatis extremum se flectere. et si ad unum *magis* flectitur, nihil prohibet eum habere proportionem cum altero. debent igitur ea, quae sunt, habere principium, quod nullam substantiam habeat ante se. cum sic fuerit et aeternum, cum eo non miscebitur materia. nam id, cui admiscetur materia, in natura sua potentiam habet.

At possit aliquis hic *logice* obviam ire inquiens nullum | potentia f. 11 existens ullo pacto vilius esse eo, quod actu est, immo ea, quae potentia sunt, ad ea, quae actu, tamquam *prius ad posterius* se habere; *etenim* aliquid *natura* ad actum *progressum procul dubio* habere potentiam priorem in esse, neque necesse esse, ut omnis potestas ad actum reducatur. sed hoc tantum in rebus sensibilibus verum est, eae namque et potestatem et actum possidentes potentiam *semper* prius habent. simpliciter tamen actum *cum* potentia comparantes actum natura priorem inveniemus; ipse namque potentiam extrahit atque movet. potentiam autem praecedere actum *statuerunt* antiqui theologi, qui generabant mundum ex tenebris et aere — ut dicebat Hesiodus — *itemque physici, qui* materiam omnia procedere asseverabant — *veluti qui ponebant omnia simul esse vel* particulas illas insectiles atque infinitas dari multaque alia — communis vero error eorum est, quod adscribunt materiam huic honorabili ac universali principio. sed quomodo materies movebitur, nisi sit *praecedens* aliqua causa, *quae* moveat eam? nullam enim invenimus materiam ex se ad formam moveri. at sicut lignum non ex se movetur ad formam lecticae, sed artificis opera, sic et menstruus sanguis; terra quoque ex se nec plantam producit nec semen ullum; at sol movet terram ceteraque elementa et semina ad plantam generandam. hinc veritatis vi convincitur ponentes materiam omnia praecedere, velint nolint, causam actu existentem adesse fateri, ut Leucippus commiscuit sempiternum motum suis illis particulis indivisibilibus, ut Plato posuit inordinatum motum ante opus dei, *ut* Empedocles *statuit* litem et amicitiam et Anaxagoras mentem. sed par erat eos potius de causa huius aeterni motus verba facere quidque aeternum intellegant [explicare]. nullum enim perpetuum motum nisi solum *localem*, *qui*

5 *praeterea—flectere* (6)] BC exhibent: *fieri vero potest quodammodo, ut in actu non sit; etenim quod potentia est, ad — se flectit* 7 *nihil—habere* FC: *necessario tamen habet* A 8 *substantiam*] conicio *potentiam* 21 *aere*] *luce* C i. t.; i. m. laudatur Av., qui iure *chao* exhibet; cf. initium cap. 7 22 *Hesiodus*] *Sinodes* sive *Sudes* codd.: *Dinodes* Av. 30 *ex se—generandam* (32)] locus vix integer 34 *commiscuit* CF: *instituit* . . (*in suis*) AB

circulo cietur, dici posse credimus; hic solus namque *praeter ceteros* f. 11 motus continuus est. nec *tamen* quemquam dixisse constat, utrum primus motus corporum naturalis sit an praeter naturam. nam *nihil, quod* temere moveatur, *invenimus*, sed aut *natura aut* ab intellectu aut vi, *cum status eius huic statui sit oppositus*. neque dicunt, quisnam *motuum* prior sit, naturalisne an is, qui ab intellectu [manat], *an is*, qui praeter naturam *existit*. magni enim id interesse videtur.

Sed diligentius sententias illorum scrutantes inveniemus ipsos ponere primum motum confusum atque inordinatum; post quem ponunt ordinatum motum cum anima et orbe et cum ordine eorum, quae sunt. at rationem *nullam invenimus*, *cur* inordinatum rem ordinatam praecedat, sed videmus *ordinatum rem inordinatam praecedere. atqui videmus* sphaeram omniaque caelestia corpora circulo cieri continuis conversionibus partim diuturni temporis, partim brevis, et reverti ad punctum, a quo initium sumpsere; et hoc aequissimis revolutionibus atque perfectissimis. quod autem habet continuum ac uniformem motum iure et merito causam habere debet, quae comparata cum corporibus motis sit uniformis. si quid vero *variis temporibus varium in modum* movetur, causa *motrix pro varietate temporum* eandem rationem, *quam id*, quod movetur, habebit. at nihil inexistens corporibus generationi corruptionique obnoxiis *unquam* eodem modo se habere potest. habent igitur haec corpora aliquam causam variam secundum ipsorum variationem. cum autem generatio atque corruptio semper sint nec unquam deficiant, consentaneum est earum quidem causam *efficientem* variari, continenter tamen perseverare. ex se quidem necessario haec causa varia est, continuationem autem accipit ab alia causa; hoc *igitur* a prima causa aut ab alia causa. quod autem cogit hoc esse a prima causa, est, quoniam causa est tum istius permansionis, tum permansionis secundae causae. et hac ratione praestantior est maiorisque momenti. nam ceterae causae nec permansionem nec continuationem habent perinde atque causa prima; proprium enim f. 12 secundae causae est variare, primae vero perseverare. necessario igitur hae omnes (?) causae erunt perseverantiae et varietatis.

Neque hoc pro placito habeas, quod ponimus quidem, cui tamen sensus repugnat; nemo namque tam caecutiens et sensu et mente est, qui non videat ac intellegat primum orbem circumeuntem ceteros orbes semper uniformiter ciere, orbes vero errantium stellarum semper motu vario moveri et unum alterum praecedere, ita ut inter se sint

---

25 *continenter*] leg. ut vulg. ἀεὶ a 11 29 *istius*] non diiudicandum est, utrum vs 15 ἀυτῷ an αὐτῷ legerit 31 *momenti* AC: *permanentiae* BF 39 *cieri* AF: *ciere* BC

diversi, atque omnia, quae generationem et corruptionem subeunt, f. 12 ab ipsis recipere motum continuum et motum varium.

Itaque cum hoc pacto res se habeat, quid nobis alia initia quaerenda sunt, ut haec deseramus, convertentes nos ad poëtas, qui generant omnia ex nocte et informi chao et, ut uno verbo dicam, ex eo, quod natura potentia est, non actu? sed haec missa faciamus et dicamus esse corpus, quod indefesso motu movetur; hic autem est motus circularis. quod non tantum ratione, sed *etiam* opere perspicuum est. cum vero motus non deficiat, [corpus] quod eo movetur, aeternum erit; id autem est primus orbis. si igitur mobile corpus a motu non vacat, ne *quod movet quidem* a motu unquam desistere aut cessare palam est. iam satis ergo patefecimus [primum motorem] aeternum sempiternaeque esse continuationis; nunc quod immobilis sit, explicabimus, idque repetendo ea, quae iam praefati sumus. si enim quidpiam ex duabus constet rebus, quarum *altera sit seiuncta* et per se stare possit, altera itidem per se manebit et *seiuncta erit.* cum igitur detur mobile *et idem* movens, et mobile *tantummodo* non movens, necessario datur et movens non mobile. hoc autem est, *quod natura existit non* immixtum materiae, cuius substantia actus est. sed nemo miretur dari movens immobile. nam omne desiderabile hoc pacto m|ovet et omne intellegibile, cum intellegitur et ad aliquas functiones movet, *hoc pacto movet.* at cum desiderabilia et intellegibilia multa sint in nobis et in aliis animalibus, fieri nequit, ut desiderabile et intellegibile simul moveant; nam desiderabile desiderium movet *quidem* et manet immotum, eius *natura* tamen non est in genere intellegibilium. in primis vero principiis materiae *non* immixtis idem est desiderabile atque intellegibile. *nam desiderabile est,* ⟨*quia*⟩ *intellegibile est, non e contrario intellegibile, quia desiderabile. et hoc ipsum invenitur in desiderabilibus nobis propinquis, quae videmus indeque appetimus et eligimus. appetimus autem grata et eligimus vere bona.* nam quae eligimus, appetimus, quoniam videntur bona; neque talia videntur, quia nos ea appetimus, *sed appetimus, quia talia videntur. atqui* nobis multa videri contingit aliter atque sint; sed in primo desiderato atque in primo desiderio nulla est diversitas inter id, quod videtur, *et id,* quod re vera est; nam idem est, et quod apparet et quod vere est. *itaque* quod de eo intellegitur, est in ratione eius, *et quod intellegitur esse bonum, id ipsum* re vera est bonum.

---

2 *motum—varium* F ex emendatione: *a motu inquam continuo et motu vario* codd.
7 ἀεὶ (Arist. 21) deest 11 *quod movet*] ὃ in ὃ κινεῖ a 23 subiectum esse putat (ut Bonitz p. 495) 15 *praefati*] Phys. VII 256b20 et Paraphr. Themistii p. 223,1
17 *cum* et sq.] verbatim: ἐπεὶ δὲ τὸ μὲν κινούμενον καὶ κινοῦν, τὸ δὲ κινούμενον μόνως μὴ κινοῦν, τοίνυν ἔστι τι ὃ οὐ κινούμενον κινεῖ 29 *quia* addidi *nam—desiderabile* (30) om. F

Initium autem desiderii est id, quod de prima causa intellegitur, eo modo, quo appetitus *nostri* initium est imaginatio et cogitatio; omnis *autem* intellectus ab intellegibili movetur, *ut* cogitatio movetur a cogitabili atque imaginatio ab imaginabili. species vero intellegibilium plures sunt, omnium tamen prima est substantia et *huius* substantiae ea, quae simplex est et est actu, *cui nulla potentia admiscetur, de qua nihil praedicatur*, *quae* subiectum nullum habet, sed re vera est natura una et simplex. quod autem materiam habet, nec simplex nec unum separatim esse potest; at ubi est potentia, ibi multitudo atque compositio. *quod* cum unum esse dicatur, non est quidem, *si primariam unius vim acceperis*, tametsi *saepius* unum et simplex dicatur. nam hominem unum dicimus, gentem unam, propositionem simplicem atque elementum simplex; sed si quis optime veritatem scrutetur, inveniet nomina haec in rebus omnibus mentiri praeterquam in prima substantia; nam de hac vere dicitur, quod una sit et simplex. neque | cum f. 13 eam unam esse dicimus, quantitatem significamus, ut cum nationem unam dicimus, digitum unum, hominem unum atque equum unum. in his namque aliud est id, quod est, aliud est esse unum; in natura vero hac ens et unum idem sunt. ita quoque simplex dicitur, non quod ex ea possit quicquam componi nec alterius comparatione sic appellatur, sed *natura* simplex est sine *ulla* compositione et multiplicitate. et haec natura non tantum est primus motor rerum, sed est perfectio et id gratia cuius.

Nam quod ex se eligibile est et quod in se habet pulchritudinem et summam nobilitatem, id et principium et ex se perfectio existit. et hoc etiam in lege reperitur. nam lex *quoque* administrationem movet, quae ab ea est. lex enim sua ipsius gratia et per se pulchra est ac eligibilis. nam tunc praestantissimi habentur iustissimeque dicuntur gubernare administrantes, cum legis normam et ordinem speculando perficiunt administrationem eamque custodiunt. [hoc tamen interest, quod] lex non est substantia, sed actio *quaedam* substantiae, quae quidem desinit esse nec manet nisi per terminatum tempus; at primum desiderabile et primum movens est substantia *non* immixta materiae, sempiternae continuationis, simplex, cuius natura actus est. perinde ac si cogitatione fingeremus legem, qua administratio *nititur*, vivere et se ipsam intellegere, et intellectione illa, ut re vera movet, administrationem movere ad modum rei desideratae. ita summus deus est vigor, lex, causa *aequabilitatis* et ordinis huius mundi, estque intellectus perfecte

6. 7 *cui* et sq.] hic excidit una pagina in A (p. 1072b2) ἔστι γάρ τινι τὸ οὗ ἕνεκα 27 *et hoc* et sq.] interpretatio verb. 32 *hoc—quod*] *sed* codd. 40 *perfecte . . veritasque* codd.: *vere perfecteque* F

primus *veritasque.* omnis autem operatio, quae ab intellectu manat, f. 13 sapientia est atque mens; cum igitur operatio intellectus sit substantia, necessario substantia primae *quoque* causae sapientia *erit* atque mens, et ab ea ordo et rectitudo entium proveniet, et *erit* illa, quam omnia, quae sequuntur, appetunt, quaedam eminus, quaedam cominus accedentia ad ipsam. ut etiam accidit in civitatum administratione; quidam enim cives accedunt ad perfectionem, quidam vero remotiores sunt. et simile est hoc desiderium homini iuris peritiam profitenti eamque desideranti, ut secundum ipsam vivat; omnes enim, *qui libero arbitrio voluntateque obsequuntur seseque accommodant, id* ob amorem *agunt* ac desiderio eius principii, quod profitentur. qui autem dixerit totum desiderium primae causae esse, ut res ad eam prope accedant et qualis ipsa est evadant, is iam metam hac sua consideratione transiit; perinde ac si *quis* id esse diceret *instar appetentiae, qua animal cibum appetit.* at res non ita se habet. sed species *quidem* desiderii multae sunt, el multa sunt ea *ipsa,* quae amantur *et desiderantur.* etenim appetitus alimenti diversus est ab appetitu rei desiderabilis; similiter etiam sanitatis amor diversus est *certa ratione* ab amore viae rectae. nam cibum appetimus, ut eo impleamur, desiderabile vero, ut id videamus et ad ipsum accedamus; ita sanitas quoque amatur, ut acquiratur, via autem recta, ut recte agatur; sic exercitus ducem appetit et civitas regem, ut eum imitetur eiusque observet mores. manemus igitur in nostro de prima causa sermone dicimusque eam immobilem esse; neque mirandum putamus ipsam, cum prima causa sit, substantiam quoque esse et intellectum, quem, dum se intellegit, cetera appetunt, ut *profiteantur hunc* intellectum, qui est ordo et norma entium, ut homo legi adhaeret atque desiderat ex eius praescripto vivere, et praefectus administrationi rectam assequi gubernandi rationem exoptat.

Movet igitur prima causa ut res desiderata. primum autem, quod ea movetur et quod propius accedit eamque desiderat et ei assimilari studet, est primum caelum et orbis inerrantium stellarum. et quia proximus est ei, rectitudinem eius, quam optat, *quam* potest *perfectissime* acquirit; quemadmodum *principis vicarius nonnihil* regiae dignitatis *sibi acquirit,* quippe qui regi propinquus sit, non loco, sed natura. post motum autem *caeli, qui* | *primus motus est,* sequitur motus planetarum, deinde genera- f. 14 bilia et corruptibilia. et natura ipsa multorum *est* motuum, non modo secundum locum, ut motus *est* divinorum corporum, sed etiam

18 *ab—desiderabilis*] fort.: *a desiderio amati* et similiter infra (20) *amatum . . ut eum* 19 *certa ratione* B: (*ab amore*) *dignitatis ac* FC; cf. infra 27 *profiteantur*] *cognoscant* FC. hinc rursus incipit A 38 ante *planetarum* add. *inerrantium stellarum et motus* AB et C i. m.

ad omnes motuum species; sequitur ergo maximam varietatem in mobilibus esse et *aliam alii potentiam*. si igitur motus omnia, quae moventur, comprehendit, *potentia vero* in motu ipso est, et motus partim in loco, partim in qualitate et substantia et in huiusmodi, idque varie: propter hoc in omnibus his *unam et eandem potentiam non* invenimus. at cum corporibus caelestibus, quae loco tantum mutantur, varietatem contingere dicimus, nihil aliud dicere volumus, praeterquam quod ea variis adesse locis contingit, non ita tamen, ut contingat in loco non esse. *etenim* cum contingere dicimus, nolumus indicare id, quod hoc *vocabulo* ostendi solet, nec modum quemdam, qui ad alterutrum extremorum declinare valeat, sed iudicamus ea in loco non esse, in quo necessario collocentur. nam proprie contingere de hac *tantum* natura imbecilli ac confusa dicitur, quam *potentia* ingreditur per ostium contrarietatis. cum *igitur potentia de* corporibus caelestibus *praedicari non possit* — ea namque sola prima mutatione, quae in loco est, mutantur absque intrinseca naturae mutatione — *ergo* qui caelestes globos hoc motu movet, quem saepenumero priorem ceteris mutationibus statuimus, *quippe qui* immobilis *sit* omnino *nec mutetur* nec transferatur, nec substantia variari poterit nec alio pacto. generatio enim et corruptio valde ab eo distant, pariterque motus incrementi et decrementi; is enim iter est ad interitum. sed et motus localis ab eo remotus est; nam et ipse est una de corporum mutationibus. at ille movet *quidem*, *sed ipse immobilis existit;* et id quod primo motu non movetur, nec *ullo alio* movetur. quamobrem valde distat a *potentia*. f. 14

Necessitate igitur est *ens*. illud vero initium, quod hoc pacto necessarium est, id vere initium est. nam quod non contingit mutari et non mutari, id necessario est et est ens. necessarium *enim* tribus modis dicitur. primo id, quod est coactum, propterea quod est praeter voluntatem; secundo id, sine quo res non *optime* se habet; tertio id, quod aliter se habere *omnino* non potest. ex tali necessario caelum et natura *universi* pendet. in summa autem praestantia degere, quod nobis ad exiguum tempus conceditur, huic substantiae perpetuo datur. *propter* nostram *enim constitutionem*, *quae* variis potentiis constet, viam sapientiae *vix* reperimus. intellectus enim noster *fere semper* anxius est nec otium habet; quamvis *vero* de aliis *plerumque* sollicitus sit et corpore implicitus, quandoque tamen, *etsi ad exiguum tempus*, iis *abiectis*, quae ipsum ab intellectione avertere possunt, se ipsum sine ullo impedimento intellegit, ex quo gaudium *laetitiamque sempiternam* consequitur, eamque adeo intentam, ut

29 *et non mutari* om. C 35 *substantiae* om. C[1] (ἐκεῖνο Ar. b 15)

exprimi nequeat. ille vero, qui a sapientia ne punctum quidem temporis vacat, non habet delectationem acquisitam, sed ipse delectatio est honorabiliorque est ceteris entibus. quodsi apud nos vigilia est suavior somno, quoniam operari suavius est, quam in otio languere, *et sensus suavior est eius privatione et intellectus ignorantia*, protrahitur excellentia illius intellectus in gloriam *et* comprehendendi dignitatem infinitam. nam quod actu est, in omnibus suavius est eo, quod potestate, idque naturae est cordi. quapropter spes iucundissima habetur; nam optat, quod potestate est, ad actum reduci; memoria quoque non est potestatis, sed actus. cum igitur id, quod potentiam et actum habet, *maiorem* in actu oblectationem consequitur, quamnam habebit proportionem laetitia eius, quod actu solummodo est et omni potentia caret, dum operatur seque intellegit? visus quoque cum nobilis|simum et pulcherrimum f. 15 omnium colorum *absque molestia* cernit, laetatur summeque gaudet; sic et palatus cum praestantiorem et suaviorem saporem gustaverit, itidem auditus *suaviorem et* iucundiorem ceteris sonum percipiens: ita intellectus quoque valde laetatur, cum omnium intellegibilium nobilissimum intellegit. nobilissimum vero omnium intellegibilium illud est, quod intellegit se suamque essentiam absque molestia ac *sine ullo* impedimento *vel* intermissione sensuum, ut *in* intellegibilibus *contingit*, quae mente formantur, a sensibilibus seiuncta. quod vero intellegibile *per se* est, id materiae *non* immixtum ac immutabile est, *sed* existit, quia intellegit atque intellegitur. et initium suae intellectionis est ipsemet; immo idem est. nam si non esset hoc pacto, non esset ex sua natura intellegibile; sed natura intellegibile est. et haec est ratio intellectus divini, qui praestantissimus est, neque *alterutrum in eo distinguitur*, sed utrumque simul inest naturae eius, quod intellegit, inquam, et quod intellegitur. nec nostra gratia intellegibilis dicitur, sed sua ipsius gratia, *ut intellectus noster et ipse sua ipsius gratia intellegibilis dicitur, minime nostra gratia.* et ut ceteros intellectus antecellit, ita inter cetera intellegibilia excellit; et sicut est intellectus perfectissimus, ita est intellegibile verissimum. cum autem intellegit, intellectio eius est actus eius, et cum est in actu intellectionis, tunc simul est intellectus et intellegibile. *intellectus totus totum amplectitur;* non eo modo, quo corpora se mutuo tangunt, ultima tantum superficie, sed eo modo, quo ea, quae commiscentur, quorum unius totum alterius totum contingit, hoc pacto intellectus

8. 9 *quapropter*] (διὰ) τοῦτο loco ταῦτα b18   9 *optat* incertum   24 *et initium* sq.] fort. vertendum: *et initio suae intellectionis eius essentia adhuc aliud quidpiam est* .. (26) *sed natura intellegens*   31 *ut—nostra* (32) om. F   36 *intellectus—amplectitur*] *ab eo manant omnia, vestit omnia* F

totus totum amplectitur; et *tunc* intellectus *simul est et* intelle- f. 15 gibile. neque proinde sicut sensus non est idem quod sensibile, quandoquidem imprimitur *forma* eius, substantia autem manet extra, *ita intellectus et ipse* sese habet ad intellegibilia, quae per se insunt ei; immo ipse fert omnes formas, nec ulla substantia foris remanet, *cui* misceatur materia. ibi enim non est materia, sed sola forma sine materia, quae consequitur intellegentem *cogitantemque* eam, cum neque pars a parte *separetur*, neque rescindatur, ut sensibilia apud sensum, sed in intellectu firmatur. in summa ipse intellectus est et intellegibilis, ut iam saepe diximus. nec similis est intellectui nostro, qui labente tempore ab *alia* re ad aliam translatus *modo* intellegit ea, quae non noverat prius, [et hoc ei contingit,] quia multum potentiae sibi adnexum habet — huiusmodi [inquam] non est intellectus ille divinus et primus, sed *ille* intellegit ea, quae penes se habet intellegibilia, per eorum assumptionem (?) *et*, ut summatim dicam, *ea*, *quae* idem quod ipsemet sunt, quoniam ipse est sua intellegibilia. *neque* ipse intellegit ea transferens se et *convertens ab alia re ad aliam*, ut facit intellectus noster, at omnia in *vestigio temporis* intellegit. proinde palam est ipsum intellegere omnia, quae sunt, eo modo, quo sunt, et eo modo, quo ipse posuit ea entia esse; omnia vero apud eum simul sunt. omnia igitur necessario *simul* intellegit. quodsi nihil mirum est intellectum nostrum id esse, quod ipse intellegit, eo magis hoc suspicandum est de primo intellectu; nam intellectus noster *ideo* divinus *habetur*, quia *similis est* intellectui divino. si igitur perfectam delectationem atque *summam* dignitatem per cognitionem assequimur, id *etiam* magis erit in prima causa. nam cernit se in summa dignitate et se intellegit absque adminiculo externae naturae, immo eam naturam, quae requiritur, in se habet. quod autem est in eius opere iucundissimum, *id* simile *non* est ei, *quod interdum deficit, neque ipsa* quidpiam molitur, ut finem suum attingat ex re, quam non habet. nam haec omnia accidentia sunt atque renovationes, quae intellectui nostro contingunt; sed hic ipse est res iucundissima, veluti ipse quoque est res praestantissima.

Si igitur deus semper sic se habet, ut aliquando nos, admirabile quidem est; sin melius, profecto magis | ad- f. 16 mirabile est, *et quo melius, eo magis admirabile.* perspicuum *igitur* est, quod separatus ac simplex est, nec ipsum sensus dirimunt aut accidentia, et intellegit omnia, quae sunt, non eo, quod *remanent extra* eius naturam, vel sunt ipsi operationes extraneae, immo ipse

1 *totus—amplectitur*] *est omnium vestimentum, et ab eo omnia manant* F 15 *per eorum assumptionem*] κατὰ μετάληψιν b 20?: *perceptionem* codd., si levem acceperis emendationem 30 *id—ipsa* (31)] *ipsa* addidi: F exhibet: *neque id unquam defecturum est, neque is ei similis est, cui deest aliquid et* (locus non integer) 37 *et—admirabile* C: om. F: AB corrupti

ea producit et ipsa id sunt, quod ipse. nam deus est lex et ratio causaque rectitudinis entium atque eorundam ordo est. nec est lex ut haec, quae in libris ponitur, sed viva lex. perinde ac si cogitatione depingere posses legem animatam esse *ac se cognoscere* seque intellegere posse. ut si Lycurgus legislator adhuc viveret et assisteret legi *eamque administraret*, cognoscens administrationem, cuius ipse auctor est, et in se ipso, intellegeret reges, duces, milites, quo adnexa esset talis cognitio funiculo inextricabili. at Lycurgus ex natura sua decessit et administratio *quoque*, quam produxit, periit. at si lex et legislator perpetuam vitam viverent, administratio itidem continuae esset permansionis. enimvero vita huius legislatoris non solum continua est, initio ac fine carens, sed etiam praestantissima est. praestantissima enim vita mens est, et honorabilior est omni *re* vitam habente. nec quandoque vivit, quandoque non vivit, nec diverso modo, perinde atque nos; sed ipse est *ipsa* vita, quoniam est actus, et actus est vita et eius perfectio. *et veluti nobilissimam habet actionem, sic etiam nobilior est omni vivo, ac velut ipse est actus perpetuus aeternusque,* sic *vita quoque* perpetua *aeternaque.* dicamus igitur deum esse vitam aeternam *sempiternam* ac perfectissimam. quare deo vita aevumque continuum perpetuum *sempiternum inest et, ut saepe prius memoravimus, loco ὑπάρχειν potius dicendum est deum esse vitam atque esse aevum sempiternum.* f. 16

At iam aliqui sunt opinati *pulcherrimum et optimum* non *esse* in initio rei, ut secta Pythagoreorum et Leucippus *opinati* sunt principia animalium et plantarum causas *quidem esse*, ut sint, *pulcherrimum autem et perfectissimum minime esse* in semine, *sed tempore perfectionis.* at non *verum* est, *quod* opinantur. nam utilitatem iam habent a radicibus. in eo vero, quod simul habet *utrumque*, actum, *inquam*, et potentiam, prior *est* potentia, simpliciter tamen actus potentiam praecedit, ut homo prior est semine hominis; *semen enim ex homine oritur.* esse igitur substantiam quandam aeternam [et] immobilem [atque] a sensibus non *solum* loco, sed natura separatam, *immutabilem, cum neque ipsa mutationem faciat, neque ulla ratione patiatur mutationem, satis iam demonstratum est.* etiam demonstratum est [hanc substantiam] non esse corpus, nec magnitudinem ullam habere [posse], neque desinere, *neque dividi.* infinito *enim* tempore movet. non dari autem magnitudinem finitam

16 *perfectio* om. A *perfectio—aeternusque* (18)] FC[1] post *perfectio* non distinguunt et exhibent: *honorabilior est ceteris operationibus et sic est continua perpetuaque vita* 21 *et ut—sempiternum* (23)] *nec nos quicquam aliud habemus, quod dicamus, nisi quod deus vita est et continuum aevum* F falso 35 *immutabilem—patiatur* (36) om. F 38 *desinere*] *mori* codd. suspectum

potestatem habentem, qua in infinitum moveat, iam expositum est in sermonibus nostris naturalibus. nam omnis magnitudo aut est finita aut infinita. vanum autem est dicere infinitam dari; sed finitum *infinitas* habere *posse* potentias *nemo fatetur neque profitetur*, eo minus, si illud, quatenus corpus est, ab ipsis movetur. nam qui solem dicit et cetera astra finita *quidem* esse, potestates *vero* habere infinitas, insufficiens utique in sermone suo est, quoniam virtus, quae existit in stellis, *et ea quidem, quae infinita habetur*, non insita est eis a natura, *neque* quatenus corpora sunt, sed aut a prima causa manat, aut anima, quae est in eis, provenit ab illa virtute *incorporea*. prima namque causa ea infinito tempore circumfert; quodsi hoc potestate haberent, ut habent corpus et magnitudo, nec perseverassent in actu, et fatigarentur procul dubio et quiete egerent. nam stellarum corpora, ob insitam potestatem, *potentias* habent finitas; diversis enim temporibus in alio et alio loco sunt, *quandoque sunt hic, quandoque illic*. haec autem loca quasi motuum termini sunt. impossibile namque est potentiam, quam sequatur actus, quem ipsa appetat, finem ac terminum non habere; sed causa, quae est potentiae *omnino* expers et actus continuus et *omni tempore* invariabilis, quomodo habere potest magnitudinem et corpus, ut habent haec, in quibus potentia continua cernitur, sive sunt corruptioni obnoxia, | sive non? in summa actus separatus ex se ipso potest f. 17 perpetuari in infinitum cum temporis continuatione; actus vero proveniens ab eo, quod est potentia, *ad effectum adducit* potentiam, nec animo comprehendere licet hunc actum infinito tempore durare: iam enim praecessit eum potentia. necessario igitur virtus, quae stellas movet, infinita est. stellae namque non acquirunt hanc virtutem per id, quod potentia est. motus vero earum in tali [et tali] loco finitus est, quoniam hoc modo *tantum* stellis inest potentia.

Inquirendum autem *est*, utrum substantiarum huiusmodi, quae magnitudinem non habent expertesque materiae *sunt*, una sit ponenda, an plures. *nam qui ante nos immateriales immobilesque substantias posuerunt, nihil certi de earum multitudine, quin etiam nihil proprie de earum numero dixere.* qui enim formas induxere, inquiunt formas immateriales esse substantias atque immobiles, nihil tamen aiunt de earum numero et reliquere rem dubiam ad modum numerorum, quorum additamentum (?) nescitur. nam *et ii, qui* ideas numeros esse inquiunt, interdum *in infinitum eas extendunt, interdum earum finem denarium ponunt numerum.* nobis autem est dicendum ex hisce, quae *praemissa* sunt atque determinata, *primum* principium unum esse *non* permixtum materiae, incor-

2 *naturalibus*] Phys. VIII 10 5 *nam qui* sq.] cf. Averr. 325 E 15. 16 *quandoque—illic* om. F 32 *an*] *et* codd. 37 *quorum additamentum* corrupta

poreum, primo motu continuo et perpetuo movens, omnis f. 17 motionis atque mutationis immune. quod autem *plures* sunt substantiae post hoc primum *principium*, quae hoc pacto sunt, id invenitur ex ratiocinatione, et sensus attestatur. [nam] omne, quod movetur, a motore movetur, *ac* causa prima *necessario una est et* immobilis tum per se, tum per accidens; substantiae vero sequentium corporum motrices necessario multae sunt, pro numero corporum, quae moventur [ab eis], et hae quidem per se immobiles sunt, per accidens tamen moventur, perinde atque anima. nec tantum immobiles *ponendae* sunt, sed et perpetuae. natura namque stellarum *substantia quaedam* perpetua est, *ac* id, quod eas movet, perpetuum est. *prius enim est moto; quod autem prius* substantia *est*, substantia necessario est. multitudinem autem virtutum ex *illa scientia*, quae philosophiae familiaris[sima] est, *ex astrologia*, *considerare* oportet. haec enim de numero motuum, quibus unaquaeque errantium stellarum movetur, *ac de numero orbium eas deferentium* contemplationem facit. numerus vero orbium deferentium stellas diversus habetur apud Callippum ab eo, qui est apud Eudoxum, [sed haec breviter et summatim a nobis explicanda sunt]. illud *vero* tantum volumus, ut virtutes moventes tot sint, quot sunt corpora, quae moventur, et earum alia prima sit, alia secunda, secundum eum ordinem, quem *et* orbes habent inter se, ita ut non solum ordine, sed et essentia atque substantia differant. ordine namque inferiores minus nobiles sunt et hac ratione primum habent secundumve gradum; diversitas *autem* in substantia necessario *subsequitur*. familiarissimam autem philosophiae astrologiam esse dixi, quoniam haec sola de substantia sensibili perpetua *quaerit*, reliquae vero mathematicae accidentia contemplantur, *quae corporibus contingunt*, ut geometria quantitatem continuam, arithmetica discretam. *ex* astrologia vero *vel* mediocriter erudito patet unamquamque [vagantium] stellarum pluribus motibus ferri; et quodlibet corpus moveri manifeste cernitur.

At quis numerus *uniuscuiusque*, *item quis numerus omnium* motuum planetarum *sit*, nunc quidem nobis ea, quae mathematicorum nonnulli dicunt, *intellegendi gratia dicenda sunt*, ut possit intellectu formari numerus determinatus. *ceterorum vero, quae sequuntur, quaedam quidem nos ipsos quaerere decet*,

11 *perpetua* F: om. codd. 14 *virtutum*] φορῶν Ar. b4 15 *familiaris(sima)*] cf. infra 18 *deferentium stellas* F: *qui stellas sustinent numerusque orbium qui eas regunt* codd. 19 *sed—sunt* (20) iure om. codd. 24 *ordine—sunt* (25) incerta 32 *vagantium* F: om. codd. *et—cernitur* (33)] locus non sanus. fort. vertendum: *omnino patet unamquamque stellarum et corporum, quae moventur, unumquodque pluribus motibus ferri* 37 *ceterorum—sequuntur* (38)] interpretatio inepta verb. τὸ δὲ λοιπόν b13

quaedam autem a quaerentibus sciscitari, ac, si quid praestantius invenerimus, quam invenerunt qui haec hactenus scrutati contemplatique sunt, omnia in medium afferemus *illique fidem adhibebimus*, qui certiorem fecerit inquisitionem. dico igitur Eudoxum lationem utriusque, solis ac lunae, in | tribus esse sphaeris f. 18 posuisse, quarum primam *eam* esse [dicebat], quae non vagantium est stellarum, secundam vero [per eum circulum, qui per media signa transit, tertiam per eum, qui est obliquus] in latitudine [ipsorum] signorum. in latitudine autem maiore circulum eum esse obliquum, per quem luna, *quam* eum, per quem sol fertur. vagantium vero stellarum uniuscuiusque lationem in quatuor sphaeris esse ponebat. atque harum *quatuor sphaerarum* primam quidem et secundam eandem *esse ac primam et secundam sphaeram solis et lunae*; nam et *sphaeram* quae non vagantium est stellarum, quae omnes defert *sphaeras*, et eam, quae sub hac collocatur *sphaera, signorum inquam sphaeram, quoad motum* communem omnibus esse. tertiae vero *sphaerae* polos *alios esse atque reliquarum, in eo quidem* ⟨*circulo*⟩, qui per media signa transit. at quartae lationem per obliquum ad medium circulum huius *sphaerae* esse. tertiae vero sphaerae polos *uniuscuiusque* ceterarum quidem stellarum *Venere et Mercurio exceptis esse* proprios, Veneris autem atque Mercurii eosdem esse. *atque haec quidem Eudoxus statuit.* at Callippus positionem quidem sphaerarum eandem quam et Eudoxus ponebat, id est ordinem distantiae *earum*, multitudinem *quoque* sphaerarum quidem Iovis atque Saturni eandem quam ille tribuebat; soli autem atque lunae *unicuique* duas sphaeras addendas esse censebat, *ut* ea, quae apparent, *explicare possint*, reliquarum vero vagarum unicuique unam *sphaeram esse addendam. necessario vero*, si debeant omnes compositae ea, quae *apparent*, reddere, in unaquaque stellarum vagantium alias sphaeras una pauciores esse, quae revolvunt [itemque restituunt positione primam sphaeram eius stellae semper, quae sub ipsa est collocata]. hoc enim pacto dumtaxat vagarum lationem stellarum omnes facere possunt. cum igitur hae sphaerae, in quibus ipsae feruntur, aliae sint octo, aliae vigintiquinque, earum autem has solas revolvi non oporteat, in quibus

---

6 *primam—obliquus* (8)] ita F imitando Arist.: codd. lectionem exhibent vitiosam: *prima sphaera . . est . . secunda sphaera signorum, tertia vero sphaera, quae est obliqua* . hic et in iis, quae sequuntur, verba κύκλος et σφαῖρα interdum permutantur *dicebat* om. codd. 17 codd. add. *sphaeris* post esse (corr.) 18 *circulo* addidi 32 *itemque—collocata* (33) ita F secundum textum: codd. exhibent *et revolvitur planeta* [*sphaera* B] *quaeque inferior, donec eo semper revertatur, ubi prima sphaera incepit* 34 *vagarum*] *fixarum* codd. falso

infima stella defertur, hae quidem *sphaerae*, quae duas f. 18 *primas* revolvunt, sex erunt; hae vero, quae posteriores quatuor revolvunt, sedecim erunt. omnium igitur sphaerarum *numerus, tum earum, quae deferunt, tum earum, quae revolvunt* eas, quinque erunt et quinquaginta. quodsi lunae solive quispiam eos non addiderit quos diximus motus, *summa* sphaerarum quadraginta erunt et septem.

Multitudo igitur *lationum* sit huiusmodi. quare et substantias et principia moventia immobilia atque etiam *substantias* sensibiles tot esse existimare *oportet*. numerus enim motuum secundum *numerum* sphaerarum *motarum* necessario debet esse; sic et numerus *causarum* moventium secundum numerum motuum. et haec nobis sufficiant. etenim non est nostrum diiudicare, *num* is sit motuum numerus [an alius], *sed* necessarium iudicium iis *relinquatur*, *quorum studium hoc est*, qui accuratius de his disserere possunt. quod*si* fieri non potest, ut ulla sit latio, quae non ad lationem stellae *cuiusdam* conducat, ullaque [praetera] natura aut substantia divina otiosa *et sine actione* esse *possit* — *omnis enim huiusmodi substantia*, *ut est bona*, *non cessat in operatione propria et definita*, ⟨*qui est*⟩ *summus dignitatis gradus*, *postquam perfectionem vitae continuae consecuta est* — nullum igitur erit aliud corpus immobile praeter haec corpora, *sed* substantiarum *numerus hic* esse debet. nam si essent alii motus, alia etiam corpora mota essent. at non sunt alia corpora praeter haec *visibilia*. nec igitur *erunt* alii motus nec aliae moventes causae praeter has. *si enim* omnis *causa*, *quae* defert, est eius gratia, quod defertur, et omnis latio cuiuspiam est, quod fert: nulla latio sane sua gratia *erit nec* lationis alius, *verum stellarum causa. nulla latio*, *inquam*, *sua gratia nec lationis alius causa erit;* natura enim abhorret nimis in cassum *vanumque* ac in infinitum progredi. dari autem lationem sua gratia vanum esset; in infinitum vero progressus esset, si *alterius* lationis *causa* esset. cum autem hoc ita sit, quod reliquum est quaeramus oportet.

Dicemus igitur: *si plures essent caeli*, *plura item oporteret esse principia prima*, *praesertim cum omnes specie iidem sint*, *ut homines*. |

1 *primarum stellarum duarum sphaeras* et (2) *posteriorum quatuor stellarum sphaeras* F duce Arist. 8 *lationum*] φορῶν (cf. Bonitz p. 511): *sphaerarum* F Arist. imitatus 14 *an alius* F: om. codd. 20 *ut est bona* om. CF *qui est* addidi 28 *fert* codd.: *fertur* F duce Aristoteli 29 *verum—erit* (30) om. FC per homoeoteleuton 36 *principia prima* C i. m.: *caelum primum* AB; C i. t. falso. F exhibet *mundum esse unum. nam si plures sint sub una specie perinde atque homines*, *unumquodque principium specie quidem unum erit* (omnino commenticie) *homines*] *homo* C (Ar. a35 ἀνθρώπου)

principia enim et ipsa specie eadem erunt, ⟨*numero autem plura*⟩. f. 19
